



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Articulus Vnicus, Quid sit Duellum & an licitum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

& denuntiationes involant, in hoc bestiis crudeliores.

13. Peccant qui dum hospitia designata vel tumultuarie accepta occupant, patronos domorum divexant, familiam concutiunt, & omnis generis nequitias exercent, quæ lubent prædantur, pecunias extorquent, domos dilacerant, ferramenta plumbum & alia detrahunt.

## TITVLVS XXXII.

### *De Duello.*

#### Articulus Vnicus.

##### *Quid sit Duellum & an licitum.*

1. **D**Uellum est pugna duorum ex condito adversus invicem pugnantium, ad mortem sibi invicem inferendam. Porro diversæ similis duelli causæ assignari possunt.

1. Cum indicitur duellum ad litem & controversiam aliquam dirimendam, ita ut ei qui superat justitia attribuatur.

2. Ob odium & inimicitiam pugnantium,

tium, qui in mutuam cædem anhelant.

3. Ob ostentationem virium & subtilitatem pugnandi, ita tamen ut se mortis periculo pugnantes exponant.

4. Ad honorem conservandum qui imminutus aut perditus creditur, si quis duellum recuset.

2. Verum omnia duella ob causas specificatas, vel alias etiam invenibiles indicta aut inita, sub peccato mortali & pænis gravissimis ab Ecclesia Dei prohibita sunt: rationem huic prohibitioni dederunt. 1. Res ipsa, quæ ex natura sua & per se est peccatum mortale. 2. Diabolica crudelitas, qua sub colore honoris vani & futilis tuendi, nefandam carnificinam animæ & corporis, Dæmon excogitavit, quam omnibus modis tollere oportuit.

3. Nec Principum aut Regum auctoritas, ulli in hac causa modo suffragari potest, videatur *Bulla Clementis octavi*, nec non *Pij quarti & Gregor: decimi tertij*. Ubi pugnantes in Duello pæna excommunicationis, proscriptionis bonorum, perpetuæ infamiæ, ferit: & si in duello mortui fuerint

fue-

fuerint Ecclesiastica sepultura privat, similiter eorum Patronos, item Principes & Dominos permittentes, responsa & scripturas ferentes, omnesque quovis modo cooperantes.

## TITVLVS XXXIII.

*De vitiis Carnis tam Militibus quam cuiusvis conditionis hominibus communibus.*

### Articulus Primus.

*De fornicatione Simplici.*

**I.** Fornicatio simplex est concubitus inordinatus, simplex, & naturalis soluti cum soluta, estque ex natura sua peccatum mortale, id clare patet. *1. ad Corinth. 6. v. 18. Fugite fornicationem: omne peccatum quodcunq; fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, quia illud impie prostituit.* Multiplicia etiam peccata ex simplici fornicatione oriri solent. *1. Inpedimentum positum ne proles nascatur, dum enim timent fornicatores honori*